

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

XXIII. Ad sacram Ecclesiae Christi Ministerium expectet legitimam vocationem.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

XXIII.

Ad sacrum Ecclesiæ Christi Ministerium expectet legitimam vocationem.

Ἐξήγησις.

Docendi munere in Ecclesia functurus legitime sit vocatus à DEO, sive *immediate*, ut Prophetæ & Apostoli, sive *mediate*, per Ecclesiam, aut quibus ab Ecclesia ea cura est commissa. Quia enim in Ecclesia omnia fieri debent *ἐὺ καὶ ὀρθῶς καὶ κατὰ τὸ ῥη*, *decenter & ordine* I. Cor. XIV. ult. *Nemo sibi ipsi honorem (Sacerdotii) summat, nisi ὁ κατὰ μυστήριον ἐκ τοῦ ἁγίου*, ut consignatissimè docet Paulus Hebr. V. 4. Ideò nec ipse Christus sibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, sed qui dixit ei, *Filius meus es tu*. Ibid. & Matth. XVII. 5. *Hic est Filius meus dilectus in quo acquiesco*, HUNC AUDITE. Sic DEUS dicit Ezechieli, *Ego constitui te*. cap V. 2. Sic à Christo vocati Apostoli, ab his alii. Ut ergò *ὁ Χριστὸς* Christus I. Pet. V. 4. sic alii Pastores per ostium legitimum intrent in Ovile. Joh. X. 1. seq. Dei missio vel vocatio munus legitimum facit, & qui à Deo vocatus non est, rite & ordine bonæque cum conscientia & auditorum fructu in eo versari non potest. Hinc etiam definitur

K

Ecc.

Ecclesiæ Minister, qvòd sit *persona vocata à Deo*,
αὐτόκλητος ultrò veniunt, & currunt potius,
 qvàm mittuntur, qvòd apud Proph. Jeremiam
 cap. XXIII. 21. de Pseudo-Prophetis Deus pro-
 nunciat; *Me non mittente hi Propheta cucurre-
 runt, meque ipsos non alloquente, prophetarunt.*
 Qui itaque currunt non vocati, aut veniunt
 non rogati, Pseudo-Prophetae sunt & Pseudo-
 Apostoli, quos cavendos monet Christus Mat-
 th. VII. 15. & Apostolus 2. Cor. X. 12. seq. *In veni-
 entibus praesumptio temeritatis est, in missis obse-
 quium servitutis*, ait Hieronymus in Proem. in
 Marth. confer Augustinum lib. XVI. contra Fau-
 stum cap. 12. & lib. contra Adversar. Legis &
 Proph. *Curritur passim*, inquit Bernhardus
 cap. 29. de persecutione, *ad secros Ordines & re-
 verenda Spiritibus Angelicis ministeria homines
 apprehendunt sine reverentia & consideratio-
 ne.* Rom. XI. 14. 15. hæc observatur gradatio;
 Invocatio prærequirit fidem; fides auditum
 Verbi; auditus prædicationem Evangelii; præ-
 dicatio Evangelii divinam missionem; quia
 absque hac nemo jure prædicare, potest. Sicut
 autem præcedentes, sic & hæc Apostoli interro-
 gatio; *Quomodo predicabunt, nisi missi fuerint?*
 in enunciatione universalem est resolvenda.
 Hinc Articulus XIV. A. C. ita habet; *De*
 Ord-

Ordine Ecclesiastico docent, quod Nemo debent in Ecclesia publicè docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus. Certissima Hæreticorum nota est, defectus vocationis, sine qua intrant in ovile Christi, tanquam fures & lupi, ægrem Dei dilaniant & perdunt. *Qui sine vocatione ingreditur, inquit B. Lutherus Tom. IV. Latino Jen. fol. 9. b. ad mactandum & perendum venit.* Ministri Ecclesiæ sunt *legati DEI*, 2. Cor. V. 20. Eph. VI. 20. Ast nemo sibi ipsi partes Legati sumit, absque Legantis auctoritate, siue nisi à Legante ipsi imponantur. Sunt *Oeconomii Mysteriorum DEI*, 1. Cor. IV. 1. Ab hero itaque domus constituendi sunt dispensatores domus. Sunt peculiari quadam ratione *milites Christi*, 2. Tim. II. 3. 4. quia præ reliquis piis, (qui & ipsi sub vexillis Christi militant) prædicatione verbi, seriis precibus, hæresium confutatione &c. adversus Satanam & Mundum pugnant, ergo peculiarem hanc militiam non aggrediantur, nisi à Christo Duce in eam adsciscantur. Culpandi proinde sunt, qui nec DEI missionem, nec Ecclesiæ approbationem expectantes ex proprio iudicio & privato arbitrio Ecclesiasticum munus capeffunt, aut id per vim occupant, aut pretio emunt, siue hastis, ut dici solet, aureis vel argenteis h. e. donis & largitionibus.

nibus illud expugnant, juxta illud Germanicum, *Schmierende Narren bekommen die besten Pfarren*; aut cognationis vel affinitatis sive conciliatæ sive adhuc conciliandæ beneficio, seu fraudibus vel emendicatis suffragiis, sive per pedi sequas Principum aut Nobilium, vel quibuscunque aliis malis artibus sese ingerunt ipsi, aut ingeri patiuntur per alios. *Hodie eliguntur aliqui*, inquit D. Pelargus com. in Deut. ad cap. X. pag. 141. *Et sunt Sacerdotes*, per Nominativum, *hoc est*, quia nomine clarent, *Et vel divites censentur, vel nobiles*: alii per Genitivum; propter arborem consanguinitatis *Et affinitatis*; alii per Dativum, qui munerebus *Et donis invadunt, vel occupant Episcopatus*: ut Jason Onia frater, 2. Maccab. IV. alii per Accusativum; quando alios traducunt, *Et accusant*, ut Alcimus Judam apud Regem Demetrium, alii per Ablativum, qui astutia *Et vi ascendunt ad dignitates Ecclesiasticas*; Johan. XXIII. alii per Vocativum, hi omnium optimi, quia legitime vocantur. Hæc ille. Bene observanda hic sunt verba Gregorii lib. II. Epist. 22. ad Antonium Subdiaconum; *Illud præ omnibus cura tibi sit*, inquit, *ut in hac electione nec datio quibuscunque modis interveniat premium, nec quarumlibet personarum patrocinia*

con-

convalescant. Nam si quorundam patrocínio quisquam fuerit electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, reverentia exigente, obedire compellitur. Caveat quisque (inquit J. H. Ursinus in Analect. de Christian. Officiis p. 99.) ne per aliquam earum ingrediatur portam, per quas Salmero in Regno Pontificio non paucos ad Episcopatum ingredi queritur; ut per Casaream aut Regiam, aulicos; per Auream, Simonis Magi heredes; per Sangvineam, aliorum Praesulum, Pontificumque cognatos; per Munerariam, quidoni & largitionibus emunt; per servilem, qui vel, inquit, longiori servitute impensa, huc tandem eniruntur, vel foedam & obscenam in prostituenda sorore, aut Affini, aut Consanguinea, aut aliam quamcunque servitutem serviunt. Tractat. XIV. in Parabol. Evang. de successu talium, per fas, per nefas Ordini Sacro se ingerentium, aut favore humano eveكتورum notum est, quod passim sermonibus celebratur; Qualis vocatio, talis successus. Vere B. Lutherus loc. cit. inquit; Nunquam fortunat Deus labores eorum, qui non sunt vocati, & quamquam quaedam salutaria afferant, tamen nihil aedificent. Ejusdem Sancti viri memorabilis sententia est, quae habetur Tom. II. Latin. fol. 553. quam & repetit in Postilla Eccles. d. S. Andreae;

ubi ait; *Expecta vocationem, interim esto securus; imo si esses sapientior ipso Salomone & Daniele, tamen nisi voceris, plusquam infernum fuge, ne Verbum effundas: Si tui egerit, vocabit te; si non vocabit, non te rumpet scientia tua; nemo fructificat verbo, nisi qui sine suo voto vocatur ad docendum; qui autem non vocatus docet, non sine damno & suo & auditorum docet, quod Christus non sit cum eo. Qui legitime h. e. consensu totius Ecclesiæ, (nempe Presbyterii, five status Ecclesiastici, Magistratus & Populi Christiani,) ad sacrum hoc munus vocatus est, tranquillâ frui conscientia & vocationis suæ in ipsa functione licet laboriosa, difficili & periculosa, non sine singulari consolatione recordari, eaque tanquam clypeo se contra omnia adversitatum telatueri potest, divinam perpendens providentiam, qua sibi divinitus nihil tale cogitanti prospectum sit. *Necessitatem Vocationis* ad Ministerium Ecclesiasticum obtinendum contra Anabaptistas, Photinianos, Arminianos & Puritanos prolixè & solidè asserunt B. Gerbardus Loco de Minister. Ecclesiastico à §. 51. seqq. ad 74. D. Georgius König in Casibus Catechet. pag. 712. seq. & Dn. D. Calovius, Systemat. Theol. Tom. IIX. artic. III. cap. 2. p. 1. Ast quid faciendum, si alicui due vel plures simul offeran-*

tur